

.xlvi. OMELIA IN NATALE SANCTI PAULI APOSTOLI .

AUdite me filioli mei et liberate uos . currite pro uobis in bonis operibus . et nobis beneficium prestate et uobis . Commune enim erit gaudium nostrum . si uos uiderimus induere christum . Iuuenes et uirgines . seniores cum iunioribus . ad gratiam dei festinent . Mater enim nostra . id est aecclesia pariendo . non discernit aetates hominum . Ipsa enim genuit petrum ex piscatore et fecit apostolum . et peperit paulum qui fuit saulus . ut ex lupo fieret agnus .

[.ii.] Baptizatus est a matre . et inluminatus a patre . coepit uelle petrum uidere . et cum quereret ualde eum uidere . magis eum coepit timere . Audiuit et petrus et timuit . quia saulus eum querebat . Tu autem noli timere beate petre . quia iam non saulus te querebat sed paulus . id est pius . Iam quoniam uas electionis est . qui te cupit uidere . Ó sancte petre benedic patrem . et suscipe fratrem et gaude . quia habes cum quo defendas matrem . O beate petre . miraris quia conuersus est saulus . qualis es tu . erit et ipse talis . et unus uobis erit natalis . Qui enim illum fecit ex saulo paulum . ipse te fecit ex simone petrum . Unus uos honorauit . unus uos coronauit . Mutauit enim persecutorem . mutauit et piscatorem . Et si te priorem elegit . tamen ambos uno ditauit honore . Veni sancte paule ueni sequere petrum . non fugientem sed docentem . Fugiebat enim quando te nesciebat . Hinc autem intelligere debetis fratres karissimi . quia iste beatissimus paulus caelesti uoce prostratus est ín<sup>1</sup> uía . sicut ín actibus apostolorum legitur . quando cum aepistolis a sacerdotibus iudeorum acceptis damascum pergeret . trahere omnes uiros ac mulieres qui ín christo credebant ín carcerem et ín passionem . Et dum quereret discerpere aut uexa

---

<sup>1</sup> many accents and hyphens added by later scribe

re gregem . audiuit altisonam uocem aebraica uoce sibi loquentem . Saule saule . cur me persequeris? Durum est enim tibi calcitrare contra stimulum dei . Quid frustra insanisti contra nomen meum et occidisti martyrem meum? Olim enim debui perdere te . sed stephanus meus orauit pro te . ut ego sanarem te . et ille audiens uocem dixit . Quis es domine? et dominus ad illum . Ego sum iesus nazarenus quem tu persequeris . Capud de celo pro membris clamat . Id est christus . pro chrisitanis . Inquietatur corpus . Id est aecclesia sanctorum et de caelo intonat iesus . et contra seuitiam pauli . celestis militia conquiritur ceeli . ut qui non crediderat resurgenti . saltem crederet in celo sedenti In illa autem hora ceciderunt super eum tenebre . et statim cecatus est<sup>2</sup> /106v/ et non uidit . et dictum est ei . Surge et uade in damascum . et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere . Et erat in damasco quidam discipulus homo iustus . cui nomen erat annanias . et apparuit ei dominus in uisu et dixit . Surge uade in occursum sauli . et dicito illi . quid illum oporteat facere . et signa eum carcere meu ; multa enim patietur pro nomine meo . Et ille . Domine audiui de uiro hoc . quia multa mala fecit sanctis tuis . Ait illi dominus . Vade quoniam uas electionis est mihi et ipse portabit nomen meum coram regibus et principibus . et testificabitur coram iudeis . et grecis . et omnibus gentibus . Et post triduum surgens annanias . uenit ad paulum et dixit ei . Saule frater . dominus misit me ad te . qui apparuit tibi in uia qua ueniebas . ut tibi reuelem quid te oporteat agere . Et confestim baptizauit saulum . et fecit paulum . id est pium . Baptizauit ergo lupum . et fecit agnum mansuetum . et coepit habere eum predicatorem . quem antea timebat persecutorem . Et statim ceciderunt tamquam squame ab oculis eius . et uisum recepit . Et surrexit . Et cum accepis

---

<sup>2</sup> xiv in pencil below this word

set cibum confortatus est . quia iam triduo ieiunasset . et cepit cito predicare iesum ín sinagoga iudęorum dicens ; Quia hic est filius dei . Stupebant autem qui audiebant dicentes . Nonne hic est qui expugnabat ín hierusalem eos qui inuocabant nomen istud . et huc ad hoc uenit . ut uinctos illos duceret ad principes sacerdotum . Paulus autem conualescebat et confundebat iudęos qui habitabant damasci . affirmans quoniam hic est christus filius dei . Considerate ergo fratres karissimi . quomodo mutatus est saulus . qui nunc est paulus . Coepit enim predicare christum . cui antea resistebat . Iam paratus est pati pro eo . contra quem antea pugnabat . Ác postremum pro eo mortem suscepit . pro quo aliís intulerat necem . Et dum querebat mínuere numerum christianorum . etiam ipse accessit ad numerum confessorum . Iste igitur beatissimus paulus cuius hodie solemnitatem agimus fratres karissimi . seruus christi iesu uocari meruit et apostolus per uoluntatem dei patris segregatus quidem a christo in aeuan gelio dei . sicut legimus in actibus apostolorum . Segregate mihi paulum et barnaban . ín opus quod elegi eos . Et ipse quidem ualenter in spiritu sancto predicabat christum iudęis et grecis . gentibus et barbaris . et impleuit euangelium christi ab hierosolimis usque ad iliricum mare . Predicauit enim iesum christum . filium dei uíuí esse regibus et principibus . ín fame et siti . ín frigore et nuditate . ín uigiliís . ín ieiuniís . ín laboribus multis . Humiliorém sé quidem omnibus exhibuit . Ut omnes per ipsum saluarentur ad christum . Factus est enim iudaeis . sicut iudaeus . ut iudaeos ad christum deduceret . Factus est grecis ut esset grecus . ut greci in christo saluarentur . Barbarus barbaris simpliciter et gentibus . ut plebem domino pararet copiosam . et cum ín lege imperitus non esset . imperitum semetipsum cum imperitis prebuit . ut omnes imperitos et insipientes . peritos et sapientes in christo faceret . Quanta autem mala pro christi

nomine sustinuerit enumerat dicens . In laboribus plurimis . fatigatus fui diebus ac noctibus . In itineribus sepe . in carceribus abundantius . in periculis fluminum . In periculis latronum . In periculis iudeis . in periculis a gentibus . in periculis a genere . in periculis a falsis fratribus . Ter uirgis cesus sum . semel lapidatus sum . Nocte ac die in profundo maris fui . Ter naufragium feci . Hec et multa his similia sustinuit paulus apostolus propter christum . /107v/ et tamen dicebat . Quis nos separabit a caritate? tribulatio . an angustia . an persecutio . an famis . an nuditas . an periculum . an gladius . Sicut scriptum est . Quia propter te mortificamur tota die . aestimati sumus ut oves occisionis . Sed in omnibus superamus propter eum qui dilexit nos . Certus sum enim . quia neque mors . neque uita . Neque angeli . Neque principatus . neque instantia . neque futura . neque fortitudo . neque altitudo . neque profundum . neque creatura alia poterit nos separare a caritate dei . que est in christo iesu domino nostro . De cuius excellentia idem paulus alibi explanat dicens . Si linguas hominum loquar et angelorum . caritatem autem non habeam nihil sum . Et si habuero prophetiam et nouerim misteria omnia et omnem scientiam . Et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam . caritatem autem non habeam nihil mihi prodest . Et si donauero omnes facultates meas in elemosinis . et distribuero omnia mea in cibos pauperum . et si tradidero corpus meum ita ut exuram . caritatem autem non habeam nihil mihi prodest . Caritas ergo patiens et benigna est . Caritas enim non emulatur . non agit perperam . non inflatur . non est ambitiosa . non querit quae sua sunt . non cogitat malum . non gaudet super iniquitatem . congaudet autem ueritati . Omnia suffert . omnia cre-

dit . omnia sperat . omnia sustinet . caritas numquam ex-  
cedit . De hac iterum idem apostolus dicit ad romanos .  
Fratres . Nemíní quicquam debeatis . nisi ut uicem diligatis .  
Qui enim diligit proximum . legem impleuít . Nam non  
adulterabis . non occides . non furaberis . non falsum testi-  
/108r/ monium dices . non concupisces rem proxímí tui . Et cetera .  
Primum ergo et maximum mandatum est caritas . quia iohannes  
apostolus dicit . Deus caritas est . et qui manet ín caritate in  
deo manet . et deus ín eo . Omnia enim dono spiritus sancti ín hoc mundo  
homínibus data . ab hominibus iterum ín hoc seculo transire  
possunt . Sola autem caritas hic et ín futuro perseuerat semper  
cum sanctis dei . quia promissionem uíte p̄sentis semper habet  
et futurę Sicut idem apostolus explanat dicens . Siue prophe-  
tię euacuabuntur . siue lingue cessabunt . siue scientia  
destruetur . Caritas . tamen numquam excedit . Si quis autem  
interrogare uoluerit quae est ista caritas . quę hic semper  
et ín fuTuro permanet cum hominibus . et quomodo eam ím-  
plere possit . respondebitur ei . Ipsa est quidem caritas .  
dilectio dei et proximi . secundum illud . Diliges dominum deum tuum  
ex toto corde tuo . et ex tota anima tua . et ex totis uiribus  
tuis . et diliges proximum tuum . tamquam te ipsum . Certissimum  
est igitur . quia in his duobus mandatis totius legis con-  
sistit plenitudo . Considerare ergo debemus fratres karissimi .  
et implere que dominus ín euangelio dicit . Omnia quecumque  
uultis ut faciant uobis homines bona . ita et uos fa-  
cite illis . Haec est ením lex et prophete . tota igitur  
dilectio domini . ín obseruatione mandatorum eius con-  
sistit . Secundum illud . qui diligit me . mandata mea custo-  
dit . et secundum prophetam . seruauí mandata tua et testimo-  
nia tua . et dilexi ea uehementer . Hanc autem poterimus  
tunc implere perfecte . si fecerimus illud quod dicit dominus

ín ęuangelio . si uís perfectus esse . Vade et uende omnia  
quę habes et da pauperibus . et ueni sequere me . et habebis  
/108v/ multos thesauros ín ęęlo . Et iterum . Si quis uult uenire  
post me abneget semetipsum et tollat crucem suam sicut ego  
portauí . et sequatur me . Id est per multas temptationes .  
Et iterum . qui uult animam suam saluam facere . perdet eam .  
Id est per multas tribulationes et pręsuras in hoc mundo .  
et qui perdidit animam suam propter me . inueniet eam precla-  
ram ín ęęlis . Sicut sancti apostoli fecerunt et omnes discipuli  
domini . Martyres et confessores . et omnes sancti . qui perfecte  
et plene caritatem dei et dilectionem proximi et omnem  
uoluntatem suam impleuerunt . Et ideo regna ęęlestia  
adepti sunt . propter labores . eorum ín seculo . quorum ut con-  
sortes fieri ualeamus . in ęęlis . optare et obsecrare debe-  
mus . Largiente `domino nostro´ iesu christo . qui coequalis et coeternus  
uúuít et regnat . cum patre et spiritu sancto . per ínfníta secula seculorum ; Amen